

etc. In quibus verbis rationem non contemendam indicat, nam Christus est æternus Pontifex, et ideo, quoad nos indigemus, semper pro nobis munus Pontificis exercet, modo statui suo accommodato; pertinet autem ad Pontificem pro suis subditis orare, ut ex Paulo, ad Hebr. 5, docuit D. Thom., q. seq., art. 4, ad 1. Multa enim in hanc sententiam congerit Origen., homil. 7 super Levit., qui interdum per exaggerationem loquitur. Ultimo probatur rationibus. Prima, quia oratio non dedecet Christum, eo quod Deus est, nam est etiam homo, alias neque in hac vita unquam orasset; nec quia beatus est, alias neque alii beati orarent, quod nunc omnino falsum esse suppono; oratio ergo nullam includit imperfectionem repugnantem aut divinitati, aut beatitudini Christi; ergo non est cur non oret. Secundo, nam oratio est cultus religionis Deo debitus; Christus autem in cœlo Deum religione colit, adorat, laudat, et gratias agit; cur ergo non etiam postulet? Tertio, quia in omnistatu operatur pro salute hominum quidquid commode potest; potest autem in statu patriæ orare et impetrare, quia hæc non repugnant cum illo statu. Quarto denique, nos habemus accessum ad Patrem per Christum, ut ad Hebr. 4 dicitur, non tantum quia in nomine ipsius petimus, sed etiam (ut supra indicavit Ambros.) quia per ipsum nostras orationes offerimus, et ipse, ut exaudiantur, obtinet.

6. *Responsio ad argumenta.* — Ad fundamenta contrariæ sententiæ. Primum, ad Patres, Rupert. quidem videtur fuisse illius sententiæ, quam non probamus. Vel exponi fortasse posset distinguendo duplicem orationem, juxta doctrinam supra datam, disp. 39, sect. 3: alteram, qua aliquis denuo impetrat, vel petit denuo merendo id quod petit; alteram, qua petit exigendo jus sibi debitum. Christus ergo in via oravit priori modo, posteriori autem in patria; fortasse ergo Rupert. solum negare voluit priorem modum orandi, qui statui beatitudinis consentaneus non est. Et ad eundem modum exponi possunt Chrysost., Theophyl., Beda, et alii ibi citati, qui explicarunt hanc orationem Christi per representationem suæ carnis et humanitatis, non quia intelligenda sit (ut ita dicam) per solam objectivam præsentiam sine ullo actu, nam ille modus valde imperfectus est; sed quia Christus per proprium actum representat Patri carnem suam, et cicatrices suorum vulnorum, et (ut D. Thom. dixit) *allegat sua merita,*

ut propter ea hominibus benefaciat. Et fortasse Nazianz. hoc sensu negavit Christum nunc fundere servilem et supplicem orationem; quamvis etiam indicet Christum non ita nunc orare, ut habitu, et figura corporis, et quasi per externa signa, se supplicem et subjectum ostendat. Quod in via faciebat flectendo genua, Luc. 22; procidendo super terram, Marc. 14; hic enim modus veluti servilis orationis non est consentaneus statui patriæ; non est tamen incredibile, ibi non solum mente, sed etiam corpore Christum orare, quia et voce Deum laudat, et cultum religionis illi præbet.

7. Ad primam confirmationem, in qua petitur an possimus Christum orare ut pro nobis oret, D. Thom., in 4, loco supra citato, simpliciter docet non esse dicendum: *Christe, ora pro nobis*; sed: *Audi nos*, vel *Miserere nostri*, tum ad vitandum errorem Arit et Nestorii; tum quia oratio simpliciter dirigitur ad personam, quæ est divinum suppositum, cuius non est petere, sed donare; tum præterea, addi potest, quia in orationibus Ecclesiæ consuetudo servanda est; tum etiam quia quando aliquam personam alloquimur, et præsertim si aliquid ab illa postulamus, illam alloquimur modo aut titulo magis honorifico, et ideo Christum simpliciter adoramus latræ, et non hyperdulia; et hoc absolute verum est, præcipue in oratione publica. Si quis autem sciat rationes distinguere, et considerare Christum ut hominem in cœlo orantem, et pro nobis sua merita Patri representantem, non erit illicitum, neque indecorum, ab illo postulare ut suæ orationis nos participes efficiat, et efficacem suorum meritorum applicationem nobis obtineat. Item, ut orationem nostram suæ jungat, et Patri offerat, ut Ambrosius et Augustinus clare docuerunt.

8. Ad ultimam confirmationem jam explicatum est propter quas causas Christus oret; ut enim D. Thomas docet in hac quæstione, et supra, q. 14, art. 4, ad 3, licet Christus ut homo suo modo omnia possit, tamen dependenter a Deo, atque adeo servato ordine et modo divinæ dispositionis; ille autem est ut, petendo, et honorando Deum, et merita sua nobis applicet, et virtutem suam exequatur.

QUÆSTIO XXII.

DE SACERDOTIO CHRISTI, IN SEX ARTICULOS DIVISA.

Deinde considerandum est de sacerdotio Christi. Et circa hoc quærentur sex:

Primo, utrum conveniat Christo esse sacerdotem.

Secundo, de hostia hujus sacerdotii.

Tertio, de effectu hujus sacerdotii.

Quarto, utrum effectus sacerdotii ejus pertineat ad ipsum, vel solum ad alios.

Quinto, de æternitate sacerdotii ejus.

Sexto, utrum debeatur dici sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

ARTICULUS I.

Utrum Christo conveniat esse sacerdotem¹.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod Christo non conveniat esse sacerdotem. Sacerdos enim est minor Angelo, unde dicitur Zachar. 3: *Ostendit mihi Deus sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini.* Sed Christus est major Angelis, secundum illud Hebr. 1: *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.* Ergo Christo non convenit esse sacerdotem.

2. Præterea, ea, quæ fuerunt in Veteri Testamento, fuerunt figuræ Christi, secundum illud Coloss. 2: *Quæ sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Sed Christus non traxit carnis originem ex sacerdotibus veteris legis; dicit enim Apostolus, ad Hebr. 7: *Manifestum est quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.* Ergo Christo non convenit esse sacerdotem.

3. Præterea, in veteri lege, quæ est figura Christi, non fuit idem legislator et sacerdos; unde dicit Dominus ad Moysen legislatorem, Exod. 28: *Applica Aaron fratrem tuum, ut sacerdotio fungatur mihi.* Christus autem est legislator novæ legis, secundum illud Jerem. 31: *Dabo legem meam in cordibus eorum.* Ergo Christo non convenit esse sacerdotem.

Sed contra est quod dicitur Hebr. 4: *Habe-*

¹ Infra, q. 31, art. 2, corp., et ad 2, et q. 59, art. 4, ad 1; et 4 contra, c. 46; et op. 20, c. 3; et Ps. 2, co. 6, et Ps. 44, co. 10, et Hebræ. 1, lect. 4, fin.

mus Pontificem, qui penetravit cælos, Jesum Filium Dei.

Respondeo dicendum, quod proprie officii sacerdotis est, esse mediatorem inter Deum et populum, in quantum, scilicet, divina populo tradit (unde dicitur sacerdos, quasi sacra dans), secundum illud Malach. 2: *Legem requirent ex ore ejus, scilicet, sacerdotis.* Et iterum, in quantum preces populi Deo offert, et pro eorum peccatis Deo aequaliter satisfacit. Unde Apostolus dicit, ad Hebr. 5: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Hoc autem maxime convenit Christo; nam per ipsum divina dona hominibus sunt collata, secundum illud, 2 Petr. 1: *Per quem, scilicet Christum, maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Ipse etiam humanum genus Deo reconciliavit, secundum illud Colos. 1: *In ipso, scilicet Christo, complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia.* Unde Christo maxime convenit esse sacerdotem.

Ad primum ergo dicendum, quod potestas hierarchica convenit quidem Angelis, in quantum et ipsi sunt medii inter Deum et hominem, ut patet per Dionys., in lib. Cœl. hier.¹; ita quod sacerdos, in quantum est medius inter Deum et populum, Angeli nomen habet, secundum illud Malach. 2: *Angelus Domini exercituum est.* Christus autem major Angelis fuit, non solum secundum divinitatem, sed etiam secundum humanitatem, in quantum habuit plenitudinem gratiæ et gloriæ. Unde etiam excellentiori modo hierarchicam seu sacerdotalem potestatem præ Angelis habuit; ita etiam quod ipsi Angeli fuerunt ministri sacerdotii ejus, secundum illud Matth. 4: *Accesserunt Angeli, et ministrabant ei; secundum tamen passibilitatem carnis, modico ab Angelis minoratus est, ut Apostolus dicit, Heb. 2. Et secundum hoc, conformis fuit hominibus viatoribus in sacerdotio constitutis.*

Ad secundum dicendum, quod, sicut Damasc. dicit, in 3 lib.², quod in omnibus est simile, idem utique erit, et non exemplum. Quia igitur sacerdotium veteris legis erat figura sacerdotii Christi, noluit Christus nasci de stirpe figuratum sacerdotum, ut ostenderetur non esse omnino idem sacerdotium, sed differre, sicut verum a figurati.

¹ Cap. 9, par. 3, a med.

² Orth. fid., c. 26, circa fin.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra¹ dictum est, alii homines particulatim habent quasdam gratias, sed Christus tanquam omnium caput habet perfectionem omnium gratiarum. Et ideo quantum ad alios pertinet, alius est legislator, et alius sacerdos, et alius rex; sed hæc omnia concurrunt in Christo tanquam in fonte omnium gratiarum. Unde dicitur Isai. 33: Dominus iudex noster, Dominus legislator noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvabit nos.

COMMENTARIUS.

1. Doctrina D. Thom. in hoc articulo est, Christum esse vere et proprie sacerdotem, quod ex actibus propriis sacerdotalis muneris, quos Christus Dominus perfectissime exercuit, satis dilucide probat; unde non indiget majori expositione.

2. Solum notandæ sunt solutiones ad 2 et 3, nam in priori significat, Christum non duxisse originem ex stirpe sacerdotum legalium, quod infra suo loco examinandum est. Nunc intelligatur de origine per lineam masculinam seu paternam beatæ Virginis; nam secundum aliquam lineam maternam Virginis, ortus aliquo modo fuit ex Levitica tribu. In solutione vero ad 3, recte docet D. Thom. Christum non tantum esse sacerdotem, sed etiam regem et legislatorem. Quod infra propria disputatione explicandum erit.

ARTICULUS II.

Utrum Christus simul fuerit sacerdos et hostia².

1. Ad secundam sic proceditur. Videtur quod ipse Christus non fuerit simul sacerdos et hostia; sacerdotis enim est hostiam occidere. Sed Christus non se ipsum occidit. Ergo ipse nec fuit simul sacerdos et hostia.

2. Præterea, sacerdotium Christi magis est simile sacerdotio Judæorum, quod erat a Deo institutum, quam sacerdotio Gentilium, quo dæmones colebantur. In veteri autem lege nunquam homo in sacrificium offerebatur, quod maxime reprehenditur in sacrificiis Gentilium, secundum illud Psalm. 105: Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suo-

¹ Q. 8, art. 4, et aliis ejusdem quæst.

² Infr., q. 84, art. 7, ad 4; et opusc. 69, c. 18, co. 6.

rum, et filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan. Ergo in sacerdotio Christi non debuit esse homo Christus hostia.

3. Præterea, omnis hostia, ex hoc quod Deo offertur, Deo sanctificatur. Sed ipsa Christi humanitas a principio fuit sanctificata, et Deo conjuncta. Ergo non convenienter potest dici, quod Christus, secundum quod homo, fuerit hostia.

Sed contra est, quod Apostolus dicit ad Ephes. 5: Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

Respondeo dicendum, quod, sicut Augustinus dicit in 10 de Civit. Dei¹, omne sacrificium visibile, invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est. Invisibile autem sacrificium est, quo homo Deo spiritum suum offert, secundum illud Psalm. 50: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Et ideo omne illud, quod Deo exhibetur, ad hoc quod spiritus hominis feratur in Deum, potest dici sacrificium.

Indiget igitur homo sacrificio propter tria. Uno quidem modo ad remissionem peccati, per quod a Deo avertitur; et ideo Apostolus dicit ad Hebr. 5, quod ad sacerdotem pertinet, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis. Secundo, ut homo in statu gratiæ conservetur, semper Deo inhærens, in quo ejus pax et salus consistit. Unde et in veteri lege immolabatur hostia pacifica pro offerentium salute, ut habetur Levit. 3. Tertio ad hoc, quod spiritus hominis perfecte Deo uniat, quod maxime erit in gloria. Unde et in veteri lege offerebatur holocaustum quasi totum incensum, ut dicitur Levit. 1.

Hæc autem per humanitatem Christi nobis provenerunt. Nam primo quidem nostra peccata deleta sunt, secundum illud Rom. 4: Traditus est propter delicta nostra. Secundo gratiam nos salvantem per ipsum accepimus, secundum illud Hebr. 5: Factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ. Tertio, per ipsum perfectionem gloriæ adepti sumus, Hebr. 10: Habemus fiduciam per sanguinem ejus in introitum Sanctorum, scilicet in gloriam caelestem. Et ideo ipse Christus, in quantum homo, non solum fuit sacerdos, sed etiam hostia perfecta, simul existens hostia pro peccato, et hostia pacifica, et holocaustum.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus non se occidit, sed se ipsum voluntarie morti

¹ C. 5, tom. 5.

exposuit, secundum illud Isaiæ 53: Oblatus est, quia ipse voluit; et ideo dicitur se ipsum obtulisse.

Ad secundum dicendum, quod hominis Christi occisio potest ad duplicem voluntatem comparari. Uno modo, ad voluntatem occidentium. Et sic non habet rationem hostiæ; non enim dicuntur occisores Christi, hostiam Deo obtulisse, sed graviter deliquisse. Et hujus peccati similitudinem gerebant impia Gentilium sacrificia, quibus homines idolis immolabant. Alio modo potest considerari occisio Christi per comparisonem ad voluntatem patientis, qui voluntarie se obtulit passioni. Et ex hac parte habet rationem hostiæ, in qua non convenit cum sacrificiis Gentilium.

Ad tertium dicitur, quod sanctitas humanitatis Christi a principio non impedit, quin ipsamet humana natura, cum in passione oblata est Deo, sanctificata novo modo fuerit, scilicet ut hostia actualiter tunc exhibita. Adquisivit enim actualem hostiæ sanctificationem tunc ex antiqua charitate et gratia unionis sanctificantem eandem absolute.

Hic articulus meditatione potius indiget quam expositione. De re autem ipsa nonnulli postea dicemus.

ARTICULUS III.

Utrum effectus sacerdotii Christi sit expiatio peccatorum.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod effectus sacerdotii Christi non sit expiatio peccatorum. Solius enim Dei est peccata delere secundum illud Isai. 43: Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Sed Christus non est sacerdos, secundum quod Deus, sed secundum quod homo. Ergo sacerdotium Christi non est expiativum peccatorum.

2. Præterea, Apostolus dicit, Hebr. 10, quod hostiæ Veteris Testamenti non poterant perfectos facere; alioquin cessassent offerri, eo quod nullam haberent conscientiam peccati cultores sufficienter semel mundati, sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. Sed similiter sub sacerdotio Christi fit commemoratio peccatorum, cum dicitur: Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6; offertur etiam continue sacrificium in Ecclesia; unde et ibidem dicitur: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Ergo per sacerdotium Christi non expiantur peccata.

3. Præterea, in veteri lege maxime immola-

batur hircus pro peccato principis, vel capra pro peccato alicujus de populo, vel vitulus pro peccato sacerdotis, ut patet Levitic. 4. Sed Christus nulli horum comparatur, sed agnus, secundum illud Jerem. 11: Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. Ergo videtur quod ejus sacerdotium non sit expiativum peccatorum.

Sed contra est quod Apostolus dicit, Hebr. 9: Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum se ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi. Opera autem mortua dicuntur peccata. Ergo sacerdotium Christi habet virtutem emendandi peccata.

Respondeo dicendum, quod ad peccatorum perfectam emundationem duo requiruntur, secundum quod duo sunt in peccato, scilicet, macula culpæ et reatus pænæ. Macula quidem culpæ deletur per gratiam, qua cor peccatoris convertitur in Deum; reatus autem pænæ totaliter tollitur per hoc quod homo Deo satisfacit. Utrumque autem horum efficit sacerdotium Christi. Nam virtute ipsius, gratia nobis datur, qua corda nostra convertuntur ad Deum, secundum illud Roman. 3: Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Ipse etiam pro nobis plenarie satisfacit, in quantum ipse languores nostros tulit, et dolores nostros ipse portavit. Unde patet quod Christi sacerdotium habet plenam vim expiandi peccata.

Ad primum ergo dicendum, quod, licet Christus non fuerit sacerdos secundum quod Deus, sed secundum quod homo, unus tamen et idem fuit sacerdos et Deus. Unde in Synod. Ephes. legitur¹: Si quis Pontificem et Apostolum nostrum factum dicit, non ipsum ex Deo Verbum, quando factum est caro, et secundum nos homo, sed tanquam alterum præter eum seorsum hominem ex muliere, anathema sit. Et ideo in quantum ejus humanitas operabatur in virtute divinitatis, illud sacrificium erat efficacissimum ad delenda peccata. Propter quod Augustinus dicit, in 4 de Trin.²: Ut quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, a quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur; idem ipse unus versusque me-

¹ In Synod. 1 Ephes., cui præfuit Cyril., can. 10.

² C. 14, circa fin., tom. 3.

dialor, per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret, cui offerebat; unum in se faceret, pro quibus offerebat; unus ipse esset, qui offerebat, et quod offerebat.

Ad secundum dicendum, quod peccata non commemorantur in nova lege propter inefficaciam sacerdotii Christi, quasi per ipsum non sufficienter expiantur peccata; sed commemorantur quantum ad illos, qui vel ejus sacrificii nolunt esse participes (sicut sunt infideles), pro quorum peccatis oramus, ut convertantur: vel etiam quantum ad illos qui post participationem hujus sacrificii, ab eo deviant, qualitercunque peccando. Sacrificium autem quod quotidie in Ecclesia offertur, non est aliud a sacrificio, quod ipse Christus obtulit, sed ejus commemoratio; unde August. dicit, in 10 de Civit. Dei¹: Sacerdos ipse Christus offerens, ipse et oblatio; cujus rei sacramentum, quotidianum esse voluit Ecclesie sacrificium.

Ad tertium dicendum, quod, sicut Origenes dicit super Joan.²: Licet diversa animalia in veteri lege offerrentur, quotidianum tamen sacrificium, quod offerrebat mane et vespere, erat agnus, ut habetur Num. 28. Unde significabatur, quod oblatio Agni veri, id est, Christi, esset sacrificium consummativum omnium aliorum. Et ideo Joan. 1 dicitur: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

COMMENTARIUS.

1. Recte advertit Cajet. non querere D. Thom. an expiatio peccatorum sit adæquatus seu unicus effectus sacerdotii Christi, sed quia hic videtur esse præcipuus effectus, ad quem hoc sacerdotium ejusque sacrificium ordinatum est, et ideo de hoc specialiter quæstionem movet, et definit, sacerdotium Christi efficere remissionem peccatorum perfectam, tam quoad maculam culpæ quam quoad reatum pœnæ. Quæ doctrina re ipsa coincidit cum ea quæ supra tractata est de merito et satisfactione Christi, et ideo nihil illi addendum superest. Quæ vero Cajet. circa solutionem ad primum notat de physica efficientia humanitatis Christi circa creationem, vel infusionem gratiæ, non multum ad rem pertinent; nam D. Thom. hic non agit de hac efficacia sacrificii Christi, sed de valore

¹ C. 20, in med., tom. 5.

² Super illud Joan. 1: Ecce Agnus Dei, fol. 103, qui lib. 1, in lucem prodiit anno Domini 1555, ex officina Caroli Guillart., Parisi.

et sufficientia ejus ad perfecte satisfaciendum, et delendum peccatum; et ad hoc propositum dicit in solutione ad primum, quamvis Christus non fuerit sacerdos secundum quod Deus, sed secundum quod homo, tamen quia idem homo, qui est sacerdos, est etiam Deus, inde habere sacrificium ejus infinitum valorem, et efficaciam ad delendum peccatum, quia valor sacrificii ex dignitate personæ sumptus est, ut late, in q. 1, art. 2, tractatum est.

2. Solutio ad secundum est valde notanda, in qua D. Thom. ait sacrificium Eucharistiæ non esse aliud a sacrificio quod Christus obtulit, sed esse ejus commemorationem et sacramentum, seu sacrum signum. Non est enim sensus, incrementum sacrificium non esse verum sacrificium, sed tantum signum sacrificii cruenti; utrumque enim vere est, et sacrificium, et memoriale; dicitur autem esse unum et idem cum sacrificio cruento, quantum ad rem oblatam, et quantum ad principalem offerentem, et quantum ad virtutem et valorem; differunt tamen in modo et proxima actione offerendi et sacrificandi, et in ratione representantis et representati, et quia per unum applicatur satisfactio, quæ per alterum effecta est. Sed de hac re latius in propria materia.

ARTICULUS IV.

Utrum effectus sacerdotii Christi non solum ad alios pertinuerit, sed etiam ad se ipsum¹.

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod effectus sacerdotii Christi non solum pertinuerit ad alios, sed etiam ad ipsum. Ad officium enim sacerdotis pertinet pro populo orare, secundum illud, 2 Machab. 1: Orationem faciebant sacerdotes, dum consummaretur sacrificium. Sea Christus non solum pro aliis oravit, sed etiam pro se ipso, secundum quod supra dictum est², sicut expresse dicitur Hebr. 5, quod in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad Deum, qui possit illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis obtulit. Ergo sacerdotium Christi effectum habuit non solum in aliis, sed etiam in se ipso.

2. Præterea, Christus sacrificium obtulit se ipsum in sua passione. Sed per passionem

¹ 4, d. 4, q. 1, art. 3, q. 5.

² Q. 21, a. 3.

suam non solum aliis meruit, sed etiam sibi, ut supra habitum est¹. Ergo sacerdotium Christi non solum habuit effectum in aliis, sed etiam in se ipso.

3. Præterea, sacerdotium veteris legis fuit figura sacerdotii Christi. Sed sacerdos veteris legis non solum pro aliis, sed etiam pro se ipso sacrificium offerebat. Dicitur enim Levit. 16, quod Pontifex ingreditur Sanctuarium, ut roget pro se, et pro domo sua, et pro universo cætu filiorum Israel. Ergo etiam sacerdotium Christi non solum in aliis, sed in se ipso effectum habuit.

Sed contra est, quod in Ephesina Synodo² legitur: Si quis dicit Christum pro se obtulisse oblationem, et non magis pro nobis solum (non enim indignit sacrificio, qui peccatum nescit), anathema sit. Sed in sacrificio offerendo, potissimum sacerdotis consistit officium. Ergo sacerdotium Christi non habuit effectum in ipso Christo.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est³, sacerdos constituitur medius inter Deum et populum. Ille autem indiget medio ad Deum, qui per se ipsum accedere ad Deum non potest, et talis sacerdotis subjicitur, effectum sacerdotii participans. Hoc autem Christo non competit; dicit enim Apostol., ad Hebr. 7: Accedens per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis. Et ideo Christo non convenit effectum sacerdotii in se suscipere, sed potius ipsum aliis communicare. Primum enim agens in quolibet genere, ita est influens, quod non est recipiens in genere illo; sicut sol illuminat, sed non illuminatur; et ignis calefacit, sed non calefit. Christus autem est fons totius sacerdotii; nam sacerdos legalis erat figura ipsius; sacerdos autem novæ legis in persona ipsius operatur, secundum illud, 2 ad Cor. 2: Nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi. Et ideo non competit Christo effectum sacerdotii recipere.

Ad primum ergo dicendum, quod oratio etsi conveniat sacerdotibus, non tamen est eorum officio propria. Cuilibet enim convenit et pro se et pro aliis orare, secundum illud Jacobi ult.: Orate pro invicem, ut salvoemini. Et sic posset dici, quod oratio, qua Christus pro se oravit, non erat actus sacerdotii ejus. Sed hæc responsio videtur excludi per hoc, quod Apostolus, Hebr. 5, cum dixisset: Tu es sacerdos in æter-

¹ Q. 19, a. 3 et 4.

² Canone 10.

³ Art. 1 hujus quæst.

num, secundum ordinem Melchisedech, subdit: Qui in diebus carnis suæ preces, etc., ut supra¹. Et ita videtur quod oratio, qua Christus oravit, ad ejus sacerdotium pertineat. Et ideo oportet dicere, quod alii sacerdotes effectum sacerdotii sui participant, non in quantum sacerdotes, sed in quantum peccatores, ut infra dicitur. Christus autem, simpliciter loquendo, peccatum non habuit. Habuit autem similitudinem peccati in carne, ut dicitur Rom. 8. Et ideo non simpliciter dicendum est, quod ipse effectum sacerdotii participaverit, sed secundum quid, scilicet secundum passibilitatem carnis. Unde signanter dicit: Qui possit illum salvum facere a morte.

Ad secundum dicendum, quod in oblatione sacrificii cujuscunque sacerdotis, duo possunt considerari, scilicet ipsum sacrificium oblatum, et devotio offerentis. Proprius autem effectus sacerdotii est id, quod sequitur ex sacrificio. Christus autem consecutus est, per suam passionem, gloriam resurrectionis, non quasi ex vi sacrificii quod offertur per modum satisfactionis, sed ex ipsa devotione, qua secundum charitatem humiliter passionem sustinuit.

Ad tertium dicendum, quod figura non potest adæquare veritatem. Unde sacerdos figuræ veteris legis non poterat ad hanc perfectionem pertinere, ut sacrificio satisfactorio non indigeret; sed Christus non indignit: unde non est similis ratio de utroque. Et hoc est quod Apostolus dicit: Lex homines constituit sacerdotes, infirmitatem habentes; sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

COMMENTARIUS.

Hanc quæstionem movet D. Thom. de eodem effectu, de quo in præcedenti articulo tractaverat, ut patet ex consequentia, et ordine articulorum, et ex toto discursu hujus articuli. Et in hoc sensu optima et facilis est ejus responsio, scilicet sacerdotium Christi non ordinari ad ipsum Christum. Et ratio fundamentalis est, quia ipse fuit innocens, impollutus, et segregatus a peccatoribus; et ideo propter se non indignit sacerdotio expiante peccatum, et hoc modo definitur in Concil. Ephes., Christum non indignisse sacrificio, quia peccatum nescivit. Addit vero D. Thom., in solutione ad primum, quatenus Christus assumpsit carnem passibilem, simi-

¹ In arg. 1.